Quaestio Medica Quodlibet. disput. agit. In Scho. Medic.rum die Jouis 22a Nouemb.

Joanne Bureto reg. med. Prof.re Moderatore.

Generanturne Corporis Humani partes simul omnes? 190

Totum om̄ quae tota vniuersitate continentur perfectissimum animal est ad multas actiones natum est, quarum diuersitas multiplicem in corporis partibus temperaturam requirit, ista et contrariae inter se ad iustitiam temperaturae oriri necesse est concors eorum discordia continua actione, et perpessione cito solueretur, nisi humidum pingue caloris natiui pabulum, et fundamentum repararet. Sed quia minor est deperditae substantiae reparatio et ex actione in humidum caloris sequitur debilitas, atq; ad extremum extinctio, sub conditione mortalitatis natum mortem euitare nulla ratione potest.

Quoniam autem melius est esse, quam non esse viue quod semper esse non potest propter eam ex qua constat materiam si non in indiuiduo, saltem in specie aeternitas generatione procuratur. Et eo sic quod absoluta nutritione perfectaq; accretione, ex vltimo alimento restat triplici facultate calidi spiritu cocti quiddam naturae analogo respondens elementaris. Similis fit ab intrinseco principio in specie productio vtero in id multum incumbente qui sua qualitate genituram respondens corpus non potentia quiddam proxima vindicat a corruptione vindicat, et calorem efficiendi tempore suo mirabiliter adiuuans admirabilem ex solo spermate maris et foeminae partium conformationem excitat.

Conformatricis potentiae obiectum animal est, ipsum per se totum non partes quae in eo potentia continentur. Haec calori et spiritibus insita in omne corpus diffusa, et agitatione strenuosum, quae vt animae unitatem multis praeditam facultatibus refert sic vnica est, multis ornata potentiis in toto, et in qualibet seminis parte, cumq; naturae necessitate non intellectus, aut voluntatis agat, nec quid sit otiosum ad extremum suae vigilantiae agit, atque vt generatrix facultas totum animal, sic quaslibet superiori subiecta potentia partes singulas suis actionibus edendis destinatas simul cum toto ~~pro~~ producit.

Enimuero partium earum quarum ministerio corporis vita gubernatur functionum inter se et cum toto necessaria societas est. Cor viuifici caloris fons et origo venarum umbilicalium et hepatis actionem desiderat dum ad se sanguinem purissimum attrahit, si non ab hepate elaboratum, ab eo saltem expurgatum, reiecta illa faece nigra et pitui, atq; per venas mesaraicas ad intestina amandata, vt si toto gestationis tempore asseruetur, nec prius emittatur, quam infans coeli spiritum hauriat capiatq, atq; hinc puerorum χολέδοχος qui nullus ante pubertatem nisi congenitus esse potest.

Hepar gratiosi humoris causa assiduum nutritionis materiam suppeditat corpori, quam dum calor singulis affixus et connatus partibus immutare omnino non potest, cordis opem, splenisque implorat quod per arterias calorem cum spiritu emittit, quo et foetus insitus, et nutrimentum immutandum magnopere adiuuatur non alia certe ratione, quam sol mundi medium obtinens etsi non calidus calorem tamen excitat, quo eorum quae terra fundit coctio perficitur. Cerebrum quoq; functionum animalium sedes, ad animalitatem ipsam quae tum in sensu, tum in motu spectatur, tenuissimis etiam spiritibus genitis in admirabili et vitalibus qui a calore cordis aguntur in humidum nutrimentum suum, quibus vt medio pellucido rerum imagines excipiuntur ista ab ipsis sensuum organis ad sensum communem sensilium species tanquam vehiculo deferuntur.

Ergo generantur Corporis Humani partes simul omnes.

BIBLIOTHEQUE

Proponebat Lutetiae M. Arnulphus De L'Isle Parisinus. A.R.S.H. M.D.LXXXIIII.

Domini doctores disputaturi.

M. Joannes Martin. M. Henricus Blacuod. M. Petrus Tourbet.
M. Andreas du Brüeil. M. Hugo Prenosteau. M. Marcus Myron Prim. reg. med.
M. Claudius Bazin. M. Nicolaus Ellain decanus. M. Ludouicus Cochin.